



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

81. An Episcopus superveniens possit visitare Capitulum Sede vacante? Et docetur Vicarium Capituli Sede vacante teneri, finito Officio stare Syndicatui, & posse ab Episcopo ad id compelli, & in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

*deputat. c. 7. dub. 35. n. 315. & 326. qui etiam optime notat, quod si Vicarius fuit electus ad tempus determinatum (quod fieri posse declarat facta Congregatio ad petitionem Capituli Salernitani) tunc elapsis eo tempore, expirat iurisdicatio in Vicario.*

RESOL. LXXX.

*Ab Vicario Capituli, Sede Vacante, teneatur stare Syndicatus? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 70.*

**R**espondeo Vicarium Capituli, Sede Vacante, finito officio, teneri stare syndicatui, ac reddere rationem suae administrationis nouo Episcopo, & si male administraverit seu exercuerit suum officium, posse ab Episcopo puniri. Sic aperte colligitur ex Trid. sess. 24. c. 16. de reform. ibi, *Rationem exigat, &c.* Et ita docet Vulpes in praxi fori Ecclesiast. cap. 44. n. 19. Riccius p. 4. decis. 291. per totam, omnino videndus.

RESOL. LXXXI.

*Ab Episcopo superueniens possit visitare Capitulum, Sede Vacante? Et ducatur Vicarium Capituli, Sede Vacante, teneri, finito officio, stare syndicatui, & posse ab Episcopo ad id compelli, & in aliquo comprehensum puniri.*

*Imò, & ipsum Capitulum, facta remotione Vicarij, & aliorum Officialium à se nominatorum, illos posse statim compelli ad reddendam rationem administrationis, ac pro admisis culpis puniri, & aliqua alia cetera supradicta explanantur. Ex p. 8. tract. 4. Ref. 5.*

§. 1. **R**espondeo affirmatiue ex Concil. Tridentino sess. 24. cap. 16. de reformat. vers. *Episcopus vero, per quem indubiè Vicarium Capituli, Sede Vacante, teneri finito officio stare syndicatui, & posse ab Episcopo ad id compelli, & in aliquo delicto comprehensum puniri, asserunt Genuesi. dicto cap. 58. in fin. Prosper August. in addit. ad Quarant. dicto verb. Capitulum Sede Vacante, n. 14. Riccius in prax. for. Eccles. decis. 481. in 1. edit. aliàs, 504. in 2. edit. & decis. 291. Rague, de voce canon. in cap. 9. q. 20. num. 13. Vgolin. de offic. Episcop. c. 2. §. 2. n. 2. Armentariz ad leges Navarrae lib. 1. tit. 18. l. 7. de Episcopo. num. 99. & August. Barbosa in Passosali, 3. pari. alleg. 34. numer. 183.*

2. Quinimò, & ipsum Capitulum, facta remotione Vicarij, vel aliorum Officialium à se nominatorum, quòd illos possit statim compelli ad reddendam rationem administrationis, ac pro admisis culpis puniri: absque præiudicio tamen alterius syndicationis Episcopi successoris, qui etiam poterit eos syndicare, & punire, quamuis à Capitulo fuerint absoluti, decisum fuisse narrat Nicol. Garcia d. 5. pari. cap. 7. n. 23. Et hæc omnia docet etiam Solorzanus de Indiarum iure, tom. 2. lib. 5. cap. 13. num. 29.

TRACTATUS SEXTVS

DE

HORIS. CANONICIS,

ATQVE DE ALIQVIBVS RESTITVTIONIBVS  
pro omissione, vel defectibus commissis in earum recitatione.


RESOLVTIO PRIMA.

*An Papa teneatur sub mortali ad recitandum Horas Canonicas, & ad confessionem Sacramentalem semel in anno, &c. Ex part. 6. tract. 7. & Miscell. 2. Resolut. 3. que nunc inueniuntur in tom. 1. tract. 3. Resol. 48.*

RESOL. II.

*An Cardinalatus inducat obligationem recitandi Horas Canonicas? Et quo tempore Cardinalatus inducat supra dictam obligationem recitandi Horas Canonicas, an à die, que Cardinalatus sumit Birretum, vel à die, quo sumit Pileum Rubrum? Et quo inferatur Beneficium non teneri persolvere Horas Canonicas à die collationis beneficij, sed à die possessionis adpræ. Etiamque deducitur, quod distributiones possunt dari propter laborem & per*

*consequens expendi possunt à Beneficiario, & Cardinali ad libitum, & restari de his, & tamen obligare ad Officium Diuinum, & ab eo non excusatur beneficiarius qui non vult restare, & ideo fructus non recipit. Et docetur, quòd quamuis Prestimonia proprie non sint beneficia, non tamen sequitur, nec est probabile ad officium Canonicum non obligare. Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 1.*

§. 1.  **A**s vs est curiosus, à nemine pertractatus; ideo suppono aliquem Cardinalem nullum habere beneficium, nec factis Ordinibus esse initiatum; sed tantum à S. D. N. fuisse inter Augustos, & Purpureos Patres assumptum. Quæro, an ex vi solius Cardinalatus teneatur ad pensum diuini Officij? Et pro parte affirmatiua facit, quia beneficium inducit onus persoluendi Horas Canonicas: sed Cardinalatus est beneficium; ergo inducit obligationem recitandi diuinum Officium. Maior propositio argumenti non indiget probatione, quia ab omnibus admittitur. Minor verò probatur ex c. 2. de Clericis non residentibus. ibi, *Canonicè est depositus;*